



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

empta protectio esset? Joannes Fridericus, examinato per Consiliarios negotio, à petitis destitit.

Post hæc pluribus annis res pacatæ: **XXVIII.**

lites enim quæ cum Domino intercesserunt, Imperialis Camerae Spirensis decisioni submissæ sunt: nec momenti alicujus mutatio contigit, nisi quod magis in errores fidei civitas rueret, atque ob id antiquæ Religionis asseclæ nonnunquam angerentur, \* ipsi Clerici (a) ratione †

focariarum divexati, quibus Senatus peculiarem vestium habitum imperare nitebatur. \* Concussit quietem Electoris Alberti mors, † quam electio Sebastiani brevi secuta. \* Anno sequente cum in-

ter Cæsarem, & Schmalkaldenses foederatos acriore studio bellum ageretur, ac Mauritijs Saxo cum Bohemis in proscripti

Friderici provincias arma verteret, hujus Capitaneus cum viginti peditum vexillis, & equitum turmâ propè Cyriaciburgum confedit, ac recipi in Urbem petiit. Ast (b) Senatus in turbulento

Imperii statu non fidens portas clausit: ita exclusus postquam octo diebus vinetis aliisque prædiis clades intulisset, ulterius movit. \* De reliquo Civitas clam Fride-

rico plus, quam Cæsari faverat, sed dum ad eventum belli cunctari vellet, longa dissimulatione sua studia prodidit. Cæsari

MDXXXVI  
Focariis Clericorum peculiaris habitus præscribitur.

MDXXXV  
Mortitur Albertus.  
Succedit Sebastianus.

\*MDXLVI.

\*MDXLVII  
Cæsar pecunie summam ab urbe exigis.

P 4

(a) MS. Chron. Erfurt.

(b) Anon. Chron. Erfurt. MS.

centum millia florenorum, at pari arte, ut belli subsidium, non ut multam sibi dari imperat. Ista Electorem Sebastianum invocat: non se nisi sub calculo Electoratus, cui proximè, & non Cæsari sublit, collectas solvere, ArchiEpiscopus & Sedis regalia tueretur, & pro Urbe sua intercederet. Mittit simul ad Cæsarem Legatos, qui exhaustum Urbis aerarium exponerent, & imperata stipendia deprecarentur: His Carolus: Inopiam propriæ malitiæ imputarent, dum curam omnem, & sumptus ad excutiendum veterem Dominum impenderent, cujus tamen nomine in quibusvis adversitatibus tam dextrè uterentur, nec cunctationes aliò respexisse, quam ut inversâ belli sorte contra Cæsarem starent. At interventu Electoris placatus Cæsar, acceptis viginti florenorum millibus reliqua remisit. \* Simile malum à Magdeburgensi milite, † qui hinc inde per Thuringiam & Viciniam quærens hyberna palabatur, perpeffa civitas. Pervagati undique, Urbis pagos deprædati sunt: Licentiùs in hos actum est, quod Moguntia subjecti essent. Statim ad Electorem Moguntinum, qui tunc agebat in Concilio Tridenti, (a) necessitas defertur; ille re cum Trevirensi communicatâ, quid atrocius subesse timens redire domum statuit, idem Trevirensis resolvit. \* Quod cum Cæsar per literas

\* MDLI.

*Magdeburgensis miles urbi gravis.*

\* MDLIII.

(a) Scleidanus lib. 23.

& internuncios resciret, bono esse animo jubet, ac ne concilium suo discessu destituerent, hortatur, se cuncta Germaniæ quieti necessaria procuraturum. Interim sub gravissimis pœnis, ut à violentiis abstinerent, mandat. Sed Albertus Norico-Brandenburgicus damna continuat, Eichsfeldiam † & Erfordiæ pagos miserabiliter depopulatur, usque dum res cum Mauritio & Cæsare in bellum erumperet, ac distraherentur arma, partim etiam in miserabiles civitatis † Morguntia clades verterentur. \* Civitas in his periculis munimentis intenta, passim ea tum reficit, tum emendat. Fossam ad Vallum retrò Carthusiam multo latiorrem effodit, nova signa civibus distribuit. Mox lites quædam inter Urbem † & Fridericum natum Electorem Saxonie componuntur: ille Rudelstadium † prope lacum Cygnicum ante annos octodecim occupatum Urbi restituit, è contrà duorum Monasteriorum Georgivallensis, & Reinhartsbornensis curias in Urbe sitas à Senatu accipit. Dicta cœnobia inter territorio Friderici sita jam olim sibi tribuerat, hinc & hæc prædia in alio territorio præterendit. Rudelstadii restitutio non serio facta, quippe brevi denuò ex prætextu quasi Erfurtenses viam regiam violassent, rescissa est.

\* Cum post hæc de pace Religionis stabilendâ Passavii tractaretur, sollicita †

*Pagos & Eichsfeldiæ depopulatur.*

*Munimenta reparant Erfurtenses \* MDLIII.*

*Transactio inter Saxonem & urbem.*

*Rudelstadii majus restituit Saxo sed sine effectu.*

\* MDLV.

XXIX.

*Urbs de Alberti religionis sollicita.*